

PRIMA PARS CAPITIS.

Concio Dei ad Noach.

- 1 Et benedixit Deus Noach & filiis eius, dixitq; ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.
- 2 Timorq; vester & pauor vester sit super omnem bestiam terræ, & super omne volatile cæli cum vniuersis, quæ mouentur super terra, cumq; omnibus piscibus maris in manum vestram tradita sunt:
- 3 Omne reptile quicquid est viuens, vobis erit in escam, sicut germen herba dedi vobis omnia.
- 4 Veruntamen carnem cum anima eius, quæ est sanguis, non comedetis.
- 5 Etenim sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram: de manu cunctarum bestiarum requiram eum: & de manu hominis, de manu, inquam, viri: fratris eius requiram animam hominis.
- 6 Quicumque effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis eius effundetur, quoniam in imagine Dei fecit Deus hominem.
- 7 Vos autem crescite, & multiplicamini, generate in terra copiose, & multiplicamini super ea.

EXPLANATIO.

I. **ET BENEDIXIT DEVS NOACH.** A Tota hæc concio pertinet ad consolandos octo homines, qui soli à diluuiio superstites recens ex arca prodierunt in terram vastâ, & nulla re magis, quam fordido limo atque cadaueribus oppletam: & cohæret cum promissione præcedente, vt ex II. versu liquet.

Concio continet I. benedictionem consolatoriam hominum à diluuiio superstitum.

2. Sanctiones tres: vnâ naturalem de imperio hominum in bestias: alteram B œconomicam de vescendis carnibus, sed non cruentis: tertiam politicam, de cauendis cædibus, & de pœna homicidii.

Denique repetitionem promissionis superioris, de non amplius delendo per diluuium genere humano, eiusq; confirmationem per Iridem.

Primo, ne à mundo tam vasto abhorreant, eiusve instaurationem desperent homines, Deus benedictionem primis parentibus factam eis repetit: Eius explicationem audiuius cap. I. 28. Pro- mittit ergo eis nouum naturæ vigorem, ad sobolem procreandam, & ad reparandum genus humanum. Berosus, etsi

fabulosus est, ex Mose tamẽ hausit, quæ de hac historia refert, quouis partu tunc geminos fuisse editos, marem & fœminam, qui adulti & coniuges effecti, & ipsi binos partu liberos semper ediderint. Fuit id sane de benedictionis huius effectu. Vt vero prius promiscuos concubitus Deus non concesserat, sed duos in vna carne coniuges esse præceperat: ita nunc coniugii legem denuo sancit, & huic benedictionem suam adstringit. Etsi enim etiam ex vago concubitu nascuntur proles: non est tamen hæc benedictio, sicut & alia dona, quæ ad se rapiunt impii, non sunt Dei benedictio. Discernendum est ergo inter adulterinam fœcunditatem, quæ maledictionis notam atque reatum secum trahit, & inter fœcunditatem legitimi thori, quæ non nisi ex vocali benedictione Dei manat. Proinde coniugii sanctio repetitur, tum ad consolationem superstitum illorum, vt Deus, quemadmodum prius fecerat, ita porro etiam piis coniugibus sua benedictione se adfuturum, & genus humanum atque Ecclesiam in mundo propagaturum ostendat: Tum ad commonefactionem:

Hhh 2 nem: